





1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*

17, 6 15

DISPUTATIO SEXTA

# EX EPISTOLA PAVLI

AD ROMANOS, CONTINENS

ἀναίλιση capitis Quarti.

*Cujus positiones divina adjuvan-  
te gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE RVN-

GIO, S.S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PRO-

fessore in Academia Vitebergensi, in collegio dispu-

tationum Theologicarum privato

defendet 27. Martij

M. BLASIVS FRIDLIEBIVS

Betza Mulhusinus.



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1596.



REVERENDIS CLARISSIS-  
MISQUE VIRIS, EXIMIA PIE-  
tate, doctrina, integritate, multoq; rerum  
usu præstantissimis

Dn. M. LUDOVICO HELMBOLDO  
*Ecclesiarum Mulhusinarum Superattendenti*  
*spectatissimo cæterisque*

Dn. M. BENIAMINI STARCKIO  
Dn. M. HEINRICO GALLO  
Dn. MICHAELI ROTHARDO

*Earundem Ecclesiarum coadjutoribus*  
*vigilantissimis*

Dominis Præceptoribus & fautoribus suis benevolis,  
summa observantia perpetuò colendis, Theo-  
logicam hanc *εὐχαριστίαν* grati animi testi-  
monium, piè offert &  
dedicat

M. BLASIUS FRIEDLIEBIUS  
*Betza Mulhusinus.*

## CAPVT QVARTVM.



OC capite Apostolus de duobus præcipuè membris ad negociũ justificationis nostræ coram Deo pertinentibus agit, videlicet *de causa formali & instrumentali.*

Aut enim forma justitiæ nostræ coram Deo est interior nostra renovatio, & inhærens propria sanctitas seu gratia infusa, congruens cum Lege Dei: Aut est aliena justitia & obedientia, quæ nostra sit, non per infusionem gratiæ, sed per gratuitam Dei imputationem. Demonstrat autem Apostolus exemplo Abrahæ, justitiam nostram consistere in imputatione fidei, amplectentis Christi obedientiam & meritum. Similiter aut operibus justificamur, aut fide: Sed non illis, ut ostendit Apostolus ejusdem Abrahæ exemplo: Ergò hæc.

Quia verò membra hæc ita sunt conjuncta, ut divelli nequeant, idè conjunctim in textu explicantur. Posita enim interiori renovatione loco formæ justificationis nostræ, necessariò consequitur, hominem operibus justificari, cum renovatio illa ociosa non sit; Et Lex non tantum conformitatem naturæ, sed etiam ejusdem operationem requirat. Posita imputatione pro formali justitiæ, simul correlatum ejus, videlicet fides & meritum Christi ponenda sunt. Altero igitur membro tollitur alterum, & alterutro demonstrato, probatur alterum, hoc est: Si probatum fuerit, justitiam esse imputatam, necessariò inde inferitur, non esse inhærentem, nec esse ex operibus: Si probatur, eam esse ex fide, sequitur esse imputatam ex gratia, non ex merito aut operibus.

Propositio igitur quam Apostolus probandam suscepit, hæc est: *Iustificatio hominis coram Deo non est ex operibus, sed ex fide.* Duæ sunt thesios partes, negans altera, altera affirmans.

Tractatio thesios rota est exemplaris, extructa ex principio supra cap. 3. v. 22. posito, videlicet omnibus hominibus, quia transgressione pares sunt, eandem justificationis coram Deo rationem propositam esse. Quare prolato unico justificationis exemplo ex scriptura, tota thesis evicta est: Desumit autem Apostolus admodum illustre exemplum Abrahami, qui cum sit

pater omnium credentium, & multis modis justitia ejus prædicetur in sacris literis, meritò quænam ea fuerit, quæritur.

Exemplo  
justificati-  
onis.

Possunt sanè plura exempla ex Scriptura afferri, ut publica-  
ni Luc 13. mulieris peccatricis Lucæ 7. Latronis in cruce Luc.  
23. Davidis reprehensi à Nathane de adulterio 2. Sam. 12. Sed  
his omnibus illustrius est Abrahami exemplum, præsertim apud  
eos, qui justiciam operibus vendicant, quæ si in ullo hominè,  
profectò in Abrahamo fuisset futura, cum tamen Paulus contra-  
rium sit probaturus. Hoc est quarti capituli argumentum, cujus  
tractatio cum tota sit *θεολογία*, textus dispositionem & ἀνάλυσιν  
thesibus includemus, ut institutū nostrum Apostoli verbis con-  
firmatum eò majori perspicuitate & certitudine illustretur ac  
roboretur.

## T H E S E S.

### I.



Reditur Apostolus ab interrogatione, qua propositio con-  
tinetur: Quid igitur dicemus, Patrem nostrum Abraham  
invenisse secundum carnem? id est: Qua ratione justifica-  
tus est Abraham pater noster secundum carnem?

### II.

Respondet Apostolus argumento negativè concludente: v. 2. Si e-  
nim Abraham ex operibus justificatus est, habet de quo glorie-  
tur, sed non apud Deum.

### III.

Cujus argumenti vis & connexio manifesta est, qua postremis ver-  
bis ita tollit consequens, ut neget antecedens. Quia enim cap. 3. v. 27.  
dixerat, Gloriationem omnino exclusam esse, & omnes gloria coram Deo  
destitui v. 23. ideoq; nos gratis salvari, ne quis gloriatur, Eph. 2. con-  
sequitur, nullam operibus justificandi vim relinqui.

### IIII.

De operib.  
factis ante  
& post  
gratiam  
datam.

Urgendum hoc est argumentum adversus adversarios, qui operi-  
bus quidem non renatorum, aut factis ante infusam gratiam gratum fa-  
cientem adimunt vim justificandi, sed aliam esse volunt operum rationem,  
quæ fiunt à rextis.

### V.

Sanè magnam esse ejusmodi operum διαβολῆς, dubium non est, ve-  
rùm non in hoc negotio: Loquitur enim Paulus non de quodam ethnico,  
aut

aut de Abrahamo nondum converso, sed de renato, justo & sancto, qualis describitur Gen. 15. Et tamen omnibus ejus operibus vim justificandi coram Deo derogat.

#### VI.

Etsi enim in efficiendis bonis operibus ratione principalis causa nulla renatis gloriandi materia relinquitur, cum opera bona in ipsis fiant autore & impulsore spiritu sancto, Tamen ratione causae cooperantis aliqua laudis pars ad renatos redit, teste Scriptura 1. Cor. 4. Ac proinde si operibus renatorum justificatio absolveretur, aliqua justitiae laus penes Abrahamum & renatos omnes resideret, quod sonora voce Apostolus negat.

#### VII.

Secundum argumentum est in v. 3. Quid enim dicit Scriptura Gen. 15. v. 6. Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad justitiam: Cujus argumenti vis est: Si imputatione fidei justificatus est Abraham, Ergo non inherente justitia operum.

#### VIII.

Qualis autem Abrahami fides fuerit, non est necesse Iesuitarum consulere scholas, qui arroganter dictitant, eam in solam promissionem de nascitura prole ex vetula muliere respexisse, ut loquitur Bellarminus lib. 1. de Just. cap. 3. Non quidem insciamur, fidem intueri quoque promissiones corporales, sed eam hac ratione justificare negamus.

NB. Quam insolenter loquantur Iesuita de fide Abraham.

#### IX.

De Abrahamo verò quod assertur, Paulus explicat, quale objectum fidei justificantis fuerit, Galat. 3. v. 16. Abrahæ dictæ sunt promissiones (quarum fiducia est justificatus) & semini ejus, Non dicit & seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, in semine tuo, qui est Christus. Quæ verba docent, promissiones Abrahæ factas non tam ad corporalia pertinere beneficia, possessionem terræ Canaan, & multiplicationem seminis, quam ad Christum, quem Abraham fide est amplexus mentione seminis, teste Paulo, & cujus diem vidit autore Christo Joh. 8.

#### X.

Frivolum & ineptum est Bellarmini studium, colligentis varia fidei objecta ex sacris literis, cum fateamur, omnes omnino promissiones, adeoque omne Dei verbum fidei justificantis esse objectum: Qui enim expresso Dei verbo non assentitur, & errorem cum fundamento pugnans perstinaciter defendit, is fide justificante caret.

Lib. 1. de justif. cap. 5. & 8. Heb. 11.

XI.

Sed hoc queritur, an indifferentem cuiusvis objecti apprehensione fides iustificet coram Deo; Id verò pernegamus, & Iesuita ex sacris literis evincet nunquam: In Christo enim sunt omnes promissiones Dei Amen; Ideoq; etsi fides amplectitur omne Dei verbum, tamen in iudicio Dei constituta, tanquam pro tribunali, non nisi solum Christum ejusq; obedientiam intuetur, & rigori Legis opponit. Estq; hoc fidei iustificantis objectum proprium, unde fides Christi, vel in sanguine Christi dicitur Rom. 3.

XII.

Talem fidem habent Papista.

Patet quoq; ex hoc dicto, appellatione fidei non solum designari notitiam. Sciunt enim Diaboli quoque Deum esse omnipotentem, norunt omnia religionis Christianae capita, unde credere eos affirmat Iacobus cap. 2. Imò hypocrita tantam habent mysteriorum Dei noticiam, ut de ijs alios magnifice docere, & acute differere possint, sicuti ipsimet gloriabuntur coram Christo Matth. 7.

XIII.

Et quàm foret absurdum, Diabolis ascribere inchoatam iusticiam, quia nimirum habent fidem, sicut Pontificij dicta de iusticia fidei Paulina interpretantur de inchoata iusticia. Hæc notoria absurditas utrumq; ostendit, & fidem non tantum significare noticiam & assensum, & Paulum de iusticia fidei differentem non tantum loqui de inchoatione iusticie.

XIV.

Vide dispu. Bellarm. de iustificatione.

Imputationis vox diligenter quoque notanda est, quam Apostolus hoc capite undecies repetit, nec tantum Abrahamo, sed nobis etiam fidem imputari ad iusticiam affirmat v. 24. Hanc vocem quasi ociosam prætermittunt sancti Patres Iesuitici, vel si pressius urgeatur cane & angue pejus oderunt. Quare mirandum est, Bellarminum prolixè de Iusticia nostra ex professo differentem de imputata iusticia tam esse mutum, cum de infusa & inherente tam sit copiosus.

XV.

Imputatio.

Contrarium vides hic in Paulo, qui non sparsim & parcè ut Iesuita attingit, sed multis repetit, urget, inculcat, explicat imputationem iusticie, eoque ipso inherentem excludit. Tenenda est igitur vera sententia huius vocis in tota disputatione Paulina. Requirit imputatio primò personam imputantem, deinde personam cui fit imputatio, tertio fundamentum, videlicet rem imputatam, quarto, terminum, ad quem ea tendit.





### XVI.

In his extra controversiam sunt:  
 Persona imputans, videlicet Deus iudex orbis terrarum: Persona  
 cui fit imputatio, est, peccator reus à Lege accusatus & convictus, quem  
 Paulus vocat impium: terminus imputationis iusticia coram Deo va-  
 lens. De re verò quæ imputatur ad iusticiam quæstio est, utrum ea sit quid-  
 dam in nobis inherens, an verò extra nos.

### XVII.

Fatetur ipse Apostolus, duplicem esse imputationis modum v. 4. & 5.  
 alium, quo merces imputatur operibus, alium quo iusticia imputatur fi-  
 dei. Operanti merces imputatur secundum debitum, credenti secundum  
 gratiam. Ratio diversitatis est, quia in operante fundamentum imputa-  
 tionis est certum opus, agentis proprium, cui merces debetur. In creden-  
 te non est tale fundamentum, cui iusticia sit imputanda, sed potius con-  
 trarium, ut si Deus velit credenti imputare id, quod in ipso est secundum  
 meritum, tartareis flammis ipsum sit adjudicaturus.

Duplex  
 imputatio  
 ratione  
 funda-  
 menti.

### XVIII.

Est igitur imputationis, quæ credenti fit, fundamentum non in per-  
 sona hominis, sed in Deo, nimirum sola ejus gratia & misericordia, impu-  
 tans nobis quod nostrum non est, nec à nobis acquisitum, sed ab alio, quod  
 tamen fide apprehendimus & nostrum facimus.

### XIX.

Res exemplo erit illustrior. Debet subditus Domino suo talentum  
 auri (nos omnes Deo debemus decem millia talentorum Matth. 18. v. 24.)  
 Non est solvendo: Quicquid diligentia sua acquirit, id partim jam an-  
 te debet, nec potest debitum debito exolvere, Partim est imperfectum,  
 nec accedit ad totius summae solutionem. Vocatur in jus. Fatetur debi-  
 tum sua culpa contractum, agnoscit & fatetur pauperiem suam. Inter-  
 cedit pro eo alius, nullo debito eidem Domino obstrictus: Hic se offert  
 ad solutionem, modò reus alienam pecuniam acceptare eaq; ad solutio-  
 nem uti velit.

Exemplum  
 imputa-  
 tionis.

### XX.

Dominus accusati etsi poterat secundum rigorem juris rejicere alie-  
 nam solutionem, & ab ipso reo efflagitare propriam. Tamen misertus  
 ejus, imputat illi solutionem ab alio præstitam, & à reo acceptatam, eumq;  
 in iudicio justificat seu absolvit, & habet pro justo, cum revera sit inju-  
 stus, debitor, & pauper in se, justus autem & dives in alio, qui pro ipso  
 solvit.

21. Hic

XXI.

Hic vides alienam solutionem imputari reo, non ex merito, sed ex gratia, perinde ut obedientia Christi Legi prestita, credentibus imputatur ad justiciam. Estq; hæc justificationis seu absolutionis nostræ in judicio Dei causa formalis, quod obedientia Christi fide apprehensa ex sola Dei gratia nobis imputatur ad fidem: Unde fit, ut qui in nobis sumus impij, injusti, maculati, in Christo fide apprehenso reputemur justi & sancti.

Forma ju-  
sticiæ no-  
stræ corâ  
Deo.

XXII.

Et Paulus duplicem imputationis divinæ respectum in negotio justificationis esse docet: Ita enim justificamur, quod Deus nobis, quæ nostræ ratione re- sunt, non imputat, videlicet peccata & iniquitates; Et quæ nostræ non- lationis, sunt, merito aut inherencia, ea imputat, videlicet satisfactionem Iesæ Christi.

Duplex  
imputatio  
ratione re-  
lationis,

XXIII.

Quæ pondera rerum cum Apostolus tanto Spiritu urgeat, miranda est excœcatio Antichristi Romani & satellitiū ejus, qui non volunt Christi justiciam & obedientiam, sed suam propriam inherentem & infusam sibi imputari, Quod & fiet ipsis, verum non ad salutem, sed ad perniciem, perinde ut Judæis Rom. 10.

XXIII.

Ita Apostolus v. 4. & 5. explicat argumentum, ductum ab exemplo Abrahæ, docens, quæ sit ratio justiciæ imputatæ, videlicet quod nihil in nobis sit inherens, vel à nobis præstitum, aut præstandum, cujus intuitu Deus nos in judicium à Lege vocatos & damnatos justificet, seu liberos pronunciet, sed quod sola gratuita imputatione fidei justificemur, cum revera simus impij & debitores.

Fides im-  
putatur  
ad justici-  
am.

Quando igitur fides dicitur imputari ad justiciam, non intelligatur ea absolute, quatenus est quoddam opus in nobis, aut qualitas accensa à Spiritu sancto, multò minus, ut solam noticiam & assensum complectitur. His enim respectibus non potest nobis imputari ex gratia ad justiciam, alioqui etiam hypocritæ essent justi coram Deo, cum tali fide sine præditi: Sed intelligatur propositio relative, quatenus fides Christum intuetur & apprehendit.

XXVI.

Tertium argumentum petit Apostolus v. 6. ex testimonio prophetice Psalmis

Psalmi 32. David dicit, beatitudinē hominis, cui Deus imputat justiciam sine operibus, Beati quorum remissae sunt iniquitates, & quorum testae sunt peccata: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.

XXVII.

Cujus argumenti vis est: Verē est coram Deo beatus, qui habet remissionem peccatorum, & cui ea teguntur & non imputantur: Sed ubi est remissio & imputatio, ibi non est meritum operum: Beatitudo ergo & justificatio non sunt ex operibus.

XXVIII.

Sunt in hoc argumento praeterea notanda: Primò: Quod Paulus beatitudinem & justificationem (consequens & antecedens) ex iisdem causis constare, eademq; ratione nos fieri beatos qua sumus justi asserit; tum quod ostendit, se non de quavis justitia loqui, sed de ea, cui adjuncta sit aeterna cum Deo beatitudinis & gloriae corona:

XXIX.

Secundò, quod justificationem explicat voce remissionis peccatorum, quod & cap. 3. v. 25. facit. Remissionis autem vox ē diametro repugnat mercedi aut merito operum:

XXX.

Tertiò, quod peccata eorum, qui sunt justi & beati, tegi affirmat. Si teguntur, ergo adhuc adsunt, & non sunt funditus deleta & ex natura eradicata, per contrariam qualitatem, ut fingunt Papistae. Detracta igitur veste, quod sunt, apparent & videntur coram Deo. Injecta veste, manent quod sunt, videlicet & vicia, sed non veniunt in conspectum Dei, non imputantur credentibus in Christum.

XXXI.

Est ergo vestis tegens immundiciem nostram solius Christi obedientia & plena satisfactio. Rom. 13. Gal. 3. Etsi enim nova obedientia in renatis quoq; dicitur vestis, & armatura Rom. 13. Tamen ea non tegit nostra peccata in conspectu Dei, alioqui nosmetipsi nostra obedientia & operibus essemus justi coram Deo, quod tanto zelo negat Apostolus: Et quia ea est imperfecta & maculata, quae ipsa quoq; eget imputatione gratiae, proinde nihil ad peccata nostra tegenda prodest.

XXXII.

Quartum argumentum est v. 9. ex connexionione effectus cum sua causa, quae semper illo est prior. Iustificatus fuit Abraham ante circumcisionem mandatam. Ergo ex ea justiciam non est consecutus. Quod si

B

ullo

ullo Abrahæ operi vis justificandi ascribenda foret, circumcissioni ea merito deberetur, utpote quæ expressum habet testimonium Scripturæ, quod sit fœdus inter Deum & Abrahamum Gen. 17. Patet igitur ex operibus Abrahamum non fuisse justificatum.

### XXXIII.

Augustinus. Quod de circumcissione pronunciat Apostolus, idem de omnibus operibus potest affirmari, ea ad justificandum hominem nihil conferre, cum bona opera non præcedant justificandū, sed sequantur justificatum. Non enim sunt bona, nisi fiant ab arbore bona, seu à persona reconciliata. Placent igitur opera Deo propter personam, gratis fide in Christum reconciliatam & justificatam. Non verò persona impia reconciliatur & justificatur propter opera, quæ tanquam effectus causa sua sunt posteriora.

### XXXIV.

Perrò, quæ militas fuerit circumcissionis Abrahamo, subjungit v. 11. Occurrens Iudeorum tacite objectioni: Nimirum, quod circumcisio illi fuerit signum & signaculum justitiæ fidei. Vocat eam signum ex Gen. 17. v. 11. in se enim considerata nuda actio, erat signum circumcissionis non manu facta Rom. 2.

### XXXV.

Circumcisio quomodo sit fœdus & signaculum fœderis. Et nota circumcissionis erat signum fœderis teste Domino Gen. 17. v. 11. Sed totum sacramentum circumcissionis, quod habebat annexam promissionem, vocatur fœdus inter Deum & hominem, v. 9. & 13. Usus circumcissionis explicat hoc loco Apostolus, videlicet quod Abraham eam non fuerit coram Deo justificatus, sed quod illi justitiã fide apprehensam obsignavit.

### XXXVI.

Eadem est ratio omnium Sacramentorum. In se enim considerata sunt certæ actiones sacræ, divinitus instituta, habentes certum objectum verbo institutionis inclusum, quibus Deus promissiones de justitiã fidei credentibus applicat & obsignat.

### XXXVII.

Tales actiones fuerunt in Veteri Testamento, Resectio præputij, & manducatio agni Paschalis cum pane azymo; In Novo Testamento sunt, ablutio aquæ in Baptismo, & manducatio in cœna Dominica. Objectum actionum sacramentalium determinat vox divina, ut Træputium, & carnes agni, & panes azymos, aquam & spiritum, panem & corpus Christi, vinum & sanguinem Christi.

### XXXVIII.

De substantiã & usu cujuslibet sacramenti judicandum est ex verbo institus-

institutionis & promissione addita: Etsi enim multa sunt similia in sacris Veteris & Novi Testamenti, ut quod sunt sacrae actiones, quibus Deus nobiscum agit, quod cedunt ad iusticiam fidei confirmandam & obsignandam, Falsa est quod sunt symbola confessionis publicae, & vincula mutuae dilectionis sacramenta &c. Tamen quoad substantiam magna est eorundem differentia, cum sacramenta veteris Testamenti tantum habuerint umbram earum rerum, regula: quarum imago ipsa & corpus sunt in Novo Testamento Heb. 10.

XXXIX.

Quod sacramento-

Ita agnus Paschalis significat Christum verum agnum pro nobis in rum V. & mortem tradendum, qui tamen, quoad humanam naturam tunc nondum N. Test. erat. Panis vero in cena Dominica non significat corpus Christi, sed sacramentali ac mystica ratione est ipsum Christi corpus, quod pani unione eadem sit sacramentali unum est. Alioqui significationes Veteris Test. longe fuerunt efficaciores, & sacramenta longe illustriora, cum agni Paschalis immolatio, sanguinis eius aspersio, assatio & totius agni manducatio, longe efficacius representent Christum, ejusque passionem & mortem, & spirituale manducationem, quam panis cenae Dominicae. Sed de his alibi plenius dicitur.

XI.

Vocatur Abraham pater omnium credentium, tam Indaeorum circumcisorum, quam gentium in preputio, non quod aliqua salutis nostrae causa illi tribuatur, nec propter generis sanctitatem aut dignitatem, qua stulte superbiunt Iudaei: Ioh. 8. quod Matth. 23. v. 9. Christus culpae, credentium dicens: Non vocate patrem in terris, unus Pater vester est in caelis: Sed pater, propter illustre exemplum iusticiae fidei & verae pietatis, Abrahamus est & dicitur hoc loco credentium pater.

XLI.

Quintum argumentum est v. 13. Abrahamo hereditas mundi non obligit per legem, sed per iusticiam fidei: Cujus argumenti vis est: Per Legem & opera Legis non contingit hereditas Abrahamo promissa, sed per iusticiam fidei: Per opera igitur non justificamur. Consequentia ratio est. Quia hereditas non datur ex merito, ut merces, sed obvenit filio propter jus iudiciale: Eadem autem ratione jus hereditatis & iusticia coram Deo acquiritur. Item quia promissio est per fidem & non per Legem, Fide igitur & non operibus sumus iusti coram Deo, & haeredes vitae.

XLII.

Hereditas mundi vel per Synechdochen de possessione terra Canaan in hoc dicto est accipiendae, vel ad amplificationem beneficiorum Christi,

Abraham quæ totius mundi bonis præstantiora sunt, à Paulo appellatur. Vel si de nunquam promissione rerum corporalium intelligas, tamen ea præsupponit semper fuit hæres promissionem gratuita remissionis peccatorum, quam primò apprehendit fides, qua persona reconciliatur & placet Deo.

δι κερτῶ

#### XLIII.

ἔκτοσ. Diligenter notandū est, quòd Paulus hoc loco ut correlata ponit promissionē hereditatis, et fidē: Hoc ipso et natura fidei justificantis notatur, igitur dictū quòd non sit nuda noticia, sed fiducia innixa Promissioni gratiæ: & promissionis divinæ conditio explicatur, quod videlicet ea non ad merita nostra, non ad Legem aut opera Legis, sed ad fidem in Christum respiciat.

#### XLIV.

Hanc antithesin expressè inculcat Apostolus v. 14. Si enim qui ex Lege sunt, seu qui in observatione Legis justiciam collocant, si inquā, hi sunt hæres, exinanita est fides, abolita est promissio. Simulq; est hoc sextum institutæ tractationis argumentum: Impossibile est promissionem Dei & fidem eidem innitentē fieri irritam: Id autem futurum esset, si ex Lege daretur hereditas operantibus, cum ea conferatur promissionē credentibus: Non igitur ex operibus, sed ex fide, justiciæ, & quæ ei annexa est, promissionis hereditatis reddimur participes.

#### XLV.

Septimum argumentum est v. 15. Lex iram operatur: Ergò non justiciam: Et proinde operibus Legis nulla est justificandi vis. Quid sit iram operari, declarat verbis sequentibus: Vbi non est Lex, ibi nulla transgressio: Nimirum quia Lex determinat metas, quid & quomodo sit agendum, quas transilisse in vitio est.

#### XLVI.

Præcipuè autem loquitur Apostolus utroq; dicto non de actu, sed de sensu peccati, qui remota Lege nullus, adhibita maximus atq; acerbissimus est, ortus ex fœditatis nostræ denudatione, & maledictionis divinæ denunciatione, ut mens consternata & p̄defacta nihil nisi iram Dei sentiat & pœnas extimescat. Talis cum sit Legis effectus, in hac naturæ humanæ depravatione, nulla justificationis nostræ spēs in ea collocari potest.

#### XLVII.

Octavum argumentū est v. 16. Promissionem justiciæ & hereditatis oportet esse firmam universo semini: ideo eam necesse est esse ex fide secundū gratiam. Diligenter consideranda est vis hujus argumenti, tum ad fidei justiciā contra operum merita asserendam, tum ad dubitationis Papisticæ scopulum evitandum.

48, Vult

XLVIII.

Vult Apostolus promissionem hereditatis firmam esse omni semini Abrahamæ ex fide, hoc est, omnibus, qui fidem Abrahamæ imitando, filij eius sunt. Non loquitur Apostolus de promissionum divinarum certitudine in se considerata, quæ est & manet inconcussa; etiamsi nemo eam amplectatur, sed intelligit *ἡ ἐπιβεβαίωσις* promissionis quoad nos: Vt enim nobis firma sit promissio, necesse est eam esse gratuitam, & fide apprehendi.

XLIX.

Gratuitam quidem, quia alioqui mens humana, de impetrando aut promerendo justiciæ beneficio nunquam posset esse certa: Ex fide, quia alioqui de doni divini applicatione corda hominū fluctuare necesse foret. Iam verò dum utrumque assertitur, in beneficij collatione *ἡ χάρις*, in applicatione *ἡ πίστις*; simul certitudo promissionis quoad nos defenditur, & dubitationis Pontificiæ *ἡ δόξα* in fumos dispellitur.

L.

Quia verò denuò Abrahamum patrem credentium dixerat Apostolus, confirmat hoc ipsum Primò testimonio prophetico Gen. 17. v. 4. ex allusione nominis Abrahami immutati desumpto: Non vocaberis ultrò Abram, sed Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.

LI.

Secundò, Paternitas Abrahami ratione fidei assertitur argumentis ductis à præstantia fidei in isto Patriarcha, quæ declaratur quinque notis: I. Quòd crediderit Deo contra naturæ ordinem aliquid promittenti, seu vocanti ea, quæ non sunt, ac si essent. II. Quòd crediderit contra spem ex rationis humanæ principijs ortam, in spem fide ex verbo conceptam, ut fieret pater multarum gentium. III. Quòd non considerarit impedimenta naturalia in se aut conjuge, opposita promissioni. IIII. Quòd non disceptarit τὴν ἀπιστίαν contra promissionem, curiosa διακρίσει modum ejus investigare volens, sed quòd Deo gloriam dederit v. 20. V. Quòd magna πλεροφορίαν acquirerit in promissione divinitus sibi tradita, innoxius omnipotentia divina. Ac proinde illi imputata sit fides ad justiciam.

LII.

Ex hac descriptione fidei Abrahamæ colligi possunt multa, ad fidei justificantis naturam pertinentia, nimirum, quòd fides credat etiam ea, quæ sunt contra naturæ ordinem, quòd cum Philosophicis demonstrationibus & naturæ principijs non congruat, quòd soli Dei verbo immitatur, quòd posito verbo nulla ἐπιβουλή rationis admittat, quòd non curiose disceptet

Et inquirat in Dei premissiones, sed simpliciter credat, quod Deo soli gloriam veritatis et omnipotentiae tribuat, quodque in promissione tradita μετὰ πλεγοφορίας acquiescat. Ex contrario hinc intelligi datur, quinam justificante fide sint destituti.

LIII.

Quia verò non omnes tali robore fidei praediti sunt, posset quispiam hinc ratiocinari, exemplum fidei prolatum ad se nihil omnino pertinere ac proinde non consequi: Abrahamo tantam tamque excellentem fidem fuisse imputatam ad justiciam, proinde sibi quoque languidam ac multis modis in noticia, assensu et fiducia imperfectam fidem ad justiciam imputatum iri.

LIIII.

Respondet Apostolus, non scriptum hoc esse propter ipsum tantum, tanquam ad illius laudes coram Ecclesia decantandas, et fidem praedicandam, sed etiam propter nos, exempli gratia, quibus itidem imputabitur justiciam, credentibus in eum, qui excitavit Iesum Christum Dominum nostrum ex mortuis.

LV.

Non enim fides respectu suae perfectionis vel imperfectioris ingrediatur justificationis momentum, sed respectu promissionis de Christo, quam aequè apprehendit fides languida et firma: sicuti perinde est, si mendicus oblatum munus debili vel valida manu apprehendat, alterum tamè melius: Unde fidei incrementa quotidie sunt nobis petenda cum Apostolis Luc. 17. v. 6.

LVI.

Quodnam verò sit fidei justificantis objectum proprium et adequatum, disertè explicat Apostolus v. 24. et 25. Iusticiam inquit imputabitur et nobis credentibus. Hic quaeritur, quidnam credere debeamus, ut imputationem justiciam consequamur: Respondet Apostolus credentibus in eum, qui suscitavit Christum à mortuis, qui traditus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.

LVII.

Proprium igitur fidei justificantis objectum est Christi obedientia et meritum, passio, morte, resurrectione ac ceteris operibus redemptionis partum, quod fides non tantum credit factum esse, cum hoc etiam impij hypocritae credant, aliosque doceant, ipsimet tamen omni justiciam carentes, sed simul credit vera fides sibi quoque acquisitum hoc esse bonum, idque amplectitur, et iudicio Dei opponit, et in vulneribus Christi secure acquiescit.

LVIII.

Nec divellenda sunt membra dicti Pauli, quasi mors Christi ad so-

lans



nam peccatorum remissionem, resurrectio ad justificationem pervineat  
ipsa enim justificatio nihil aliud est, quam peccatorum remissio, & justi-  
ciae atq; obedientiae Christi imputatio Act. 13. Rom. 4. v. 8. Ideo Scri-  
ptura promiscue modo uni modo alteri facto atq; operi Christi tribuit  
tam remissionem peccatorum, quam justificationem nostram Rom. 5. v. 9.  
1. Joh. 1. v. 7.

Ἀνακεφαλαίωσις.

**C**ontrahamus in summam argumenta Apostoli, certitudinis  
& memoriae gratia. Iustificatio hominis coram Deo non est  
ex operibus, sed ex fide.

**I.** Quia nulla relicta est homini gloriationis materia, ne sanctissimo  
Abrahamo quidem, qui praeter fidem multis magnis virtutibus fuit illustris.

**II** Quia justificamur imputatione fidei.

**III.** Quia beatitudinem aeternam consequimur peccatorum Remissio-  
ne & gratiae Dei imputatione.

**IIII.** Quia sine circumcissione utpote sanctissimo opere justificatus est  
Abraham.

**V.** Quia hereditas ipsi et semini ejus non obtigit per Legem, sed per fidem.

**VI.** Quia promissio Dei & fides ei innixa non possunt fieri irrita.

**VII.** Quia Lex in natura peccato corrupta iram operatur, eandem  
verò non justificat.

**VIII.** Quia promissionem gratiae & hereditatis necesse est esse firmam  
Ergò non est ex Lege vel operibus, sed ex fide, gratis.

### Corollaria.

**I.**

Deus vivificat mortuos, & vocat ea, quae non sunt tanquam  
ea, quae sunt. Impij igitur, qui vocem Dei ad grammaticam hu-  
jus seculi astringunt, cum Deus loquatur res, non verba tantum,  
ut nos, ut Lutherus inquit in Genesin.

**II.**

Deus quaecumq; promittit, potens est & facere. Infinitae igitur  
Dei omnipotentiae nullae metae sunt statuendae, quod dum Cal-  
viniana cohors facere praesumit, idolatrias crimine se polluit, al-  
liumq; Deum loco veri Dei substituit, qui neq; verax sit in ver-  
bo, nec omnipotens sit in opere, sed teneatur sequi regulam ser-  
monum & operum à Pseudodoctoribus praescriptam.

3. Christus

III,

Christus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Totum igitur Christi meritum est nostrum: Cumq; id sit perfectum, ideo Christus nobis quoad peccatorum remissionem & justiciæ acquisitionem nihil reliquit promerendum. Quod Papistæ dum asserunt, ostendunt, frustra Christum mortuum sibi esse, & se extra hunc salvari posse, contra testimonia scripturæ Act. 4, Gal. 2.

*Soli Deo gloria.*



AB 22 841 (1)

ULB Halle 3  
002 043 793





Sb.

W19

Hilf.







17,6 15

DISPUTATIO SEXTA  
**EX EPISTOLA PAVLI**  
AD ROMANOS, CONTINENS  
*ἀναίλιση* capitis Quarti.

*Cujus positiones divina adjuvan-  
te gratia,*

**PRÆSIDE DAVIDE RVN-**  
GIO, S.S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PRO-  
fessore in Academia Vitebergensi, in collegio dispu-  
tationum Theologicarum privato  
defendet 27. Martij

M. BLASIVS FRIDLIEBIVS  
*Betz Mulhusinus.*



WITEBERGÆ,  
*Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1596.*

